



68
13 C
2



# NOBILI
# ATQVE INTEGERRIMO
## VIRO D.D. IOANNI VVERNHARDO
## A PFORRIN MVNZINGEN,

Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi, domus Auſtriacæ à
Conſilijs, & Regiminis in Enſensheim ſuperioribus
partibus Alſatiæ, Salutem, pacem & obſequia
precatur, Conradus Frauuendienſt,
tunc temporis indignus Vica-
rius in Bieſſenheim.






SVPERIORVM PERMISSV.

---

ROMAE,
Apud Hæredes Antonij Bladij Typographos Camerales.
M. D. LXXXVIII.

# NOBILI ATQVE INTEGERRIMO VIRO D. Domino Ioanni Vvernhardo à Pforr in Munzingen, Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi, domus Auſtriacæ à Conſilijs, & Regiminis in Enſensheim ſuperioribus partib. Alſatiæ, Salutem, pacē & obſequia præcatur, CONRADVS Frauuendienſt, tunc temporis indignus Vicarius in Bieſſenheim.





Vm præteritis temporibus ( Nobilis, integerrimeq; Mecœnas)non ſolum apud te tuosq; munus Eccleſiaſticum in Munzingen, verum etiam in Stauffenheim & Fryburgi ſuſceperim : qualiterq; me in peragendis adminiſtrandisq; diuinis geſſerim ; non vni, ſed multis conſtat. Nam Omnipotentem teſtor, quòd non id muneris proprij quæſtus, ſed ædificationis gratia Romanæ Eccleſiæ Catholicæ fecerim. De quibus abſq; dubio tutuiq; ſubditi, qui tunc temporis mei fuerunt auditores & ouiculæ, teſtimonium reddere poſſent : ſi ab illis exigeretur. Qualemq; diligentiam in omnibus diuinis adhibuerim, homines & Deus norunt. Me etiam eo tempore, quo in Sacerdotio non ſolummodo: verum totius vitæ meæ abſq; omni ſuſpicione membrum atq; fidelem miniſtrum Catholicæ Eccleſiæ declarauerim. Nihilominus tamen ( vti fieri ſolet ) quòd veritas odium pariat, ſic in promptu eſt. Cum enim Colmariæ te tuoq; fratre inuito Eccleſiaſten & Canonicum agerem, varij maleuoli & diffamatores contra me falſo inſurrexerunt : & in eo, quo illi hærebant luto ( & adhuc hærent ) me quæritabant. Multis enim, vt fama quam hactenus habui ( vt ſpero bonam ) funditus perdatur, teſtimonijs nitebantur. Sicut olim Suſannæ fideli cum duobus ſenibus accidit. Sicut enim illorum ſenum diſſona erant teſtimonia : ſic & meorum maleuolorum in nullo conueniunt teſtimonia, niſi in eo quòd pretio à filijs perditionis appretiati ſunt inimici mei. Et ſic diſcordantibus teſtimonijs in Ius Colmariæ productis, nihil efficere potuerunt, ſed quidam illorum eiuſmodi teſtimonia reddentium, qualem mercedem receperint, pueris notum. Vnus etenim eſt relegatus, cæteri luiebant condignam factis pœnam. Primates autem huius mali cum videant ſe nihil proficere poſſe de iure, famæ meæ atque fidelitati, neruis omnibus detrahere non acquieſcunt, & quod ſi fieri poſſet, furor illis arma miniſtraret. Ego autem, vt cum Paulo id patienter ſuſcipiam, non armis ferreis, ſed ſpiritualibus, id eſt, verbo veritatis me defendam. Nam nulli prohibitum ſuam defende-

1. Co. 6 re famam, si falsò infametur. Nam Paulus adhortatur vt id per infamiam & bonam famam suscipiamus. Cum igitur mei delatores in nullo me potuerunt accusare, nisi quòd Dominica. 3. Epiph. & Paschæ festo Anno 85. suspectam & contra Ecclesiam, Ecclesiasticasq; personas & sacerdotalem dignitatem concionem habuerim, vt illi falsò asserunt: Vt omnibus constet & palam fiat, cuius mentis atque religionis ego sim: illas conciones sub tuo nomine & in gratiam defensoriam meæ famæ, in publicum vt prodeant, procuraui & decreui. Quas beneuolis oculis gratitudinis ergo de in me collatis beneficijs accipere, legere & relegere, meq; vt soles, commendatum, & huiusmodi diffamationibus excusatum ne dedigneris. Vale. die 9. Maij. Ann. 86.

In vocis habebam summarum Bibliæ Typicæ in publicũ æ'ere: si petis, fiet, cũ omnib. meis cõcionib. Colmariæ factis.

Obedientiss. tu.

Conradus Frovuendienst indignus
Vicarius in Biessenheim.

Fideliter

## DOMINICA TERTIA POST EPIPH.

POSTQVAM Dominus Iesus Christus ostendit se esse creatorem omnium, qui mutare potest creaturas scilicet in conuersione aquæ in vinũ: & per testimonium Dei patris, manifestauit se esse filiũ Dei, dicente Deo patre in Baptismo Christi: Hic est filius meus dilectus, &c. Sicuti in præcedente Dominica habuimus. Hodie consequenter in Euangelio ostenditur per duo magna miracula, quòd ipse Christus descendit de monte, id est, de cælo in hunc mundum, & venit saluare genus humanum à peccatis. Mat. 17

Ostenduntur autem in hoc Euangelio quatuor. Primo: Quare ascendit Christus in montem. Secundo: Quomodo secutus sit eum populus. Tertio: Quomodo hìc à lepra mundatus sit. Quarto: Sacerdotibus Dei ex iure diuino obediendum esse. Primo, inquam, ait Euangelista Matthæus ante Euangelium huius Dominicæ Dominum Iesum ascẽdisse in montem, scilicet quia in omni loco voluit sanare. In quo octo beatitudines, hoc est, legis Euangelicæ perfectionem docuit suos discipulos, & dedit ibidem eis potestatem curandi & prædicandi. Mat. 5.

(Cum descendisset Iesus de monte vsque ad radicem montis Thabor.) Tres sunt radices, de quibus omnia mala veniunt. Prima est peccatum per ignorantiam in Patrem, sicut multi dicunt: Domine ego nesciui quòd fuit peccatum. Talis ignorantia non excusatur, quia Ecclesia est plena doctrinis. Vade, audi verbum Dei, & ibi docetur quid te oporteat facere, & ibi cognoscant hanc vitam dicentes istud Sapientiæ: Errauimus à via veritatis & iustitiæ, lumen veræ cognitionis non luxit nobis. Audi quid dicat Apostolus vas electionis: Ignorans ignorabitur. Et Moyses: Vtinam intelligerent & saperent, ac nouissima prouiderent. Quid de fatuis virginibus ait Christus? Nescio vos. Nonne in veteri Testamento legitur: ignorantem interficiet Dominus? Et Propheta ait: Ignorantes viam Dei peribunt. Et Psalmista: Ignorantias meas ne memineris Domine. Secunda radix est, peccare in Filium per infirmitatem mentis, quia multi sunt, qui sunt valde proni: quando tentatio venit, sta-

Tres radices à quibus omnia mala veniunt. Prima radix mali. Sap. 5. 1. Cor. 14. Deu. 32. Mat. 25. Gen. 20. Hier. 5. Psal. 24. Secunda radix mali.

tim consentiunt, & in nullo resistunt. De quibus ait Apostolus: Multi sunt inter vos infirmi nolentes resistere peccato. Tertia radix & quidem pessima, est peccare in Spiritum sanctum, qui sciunt bonum & malum discernere, nihilominus tamen obdurato corde atque mera malitia, usque ad desperationem deveniunt: vt Pharao, Iudas, & Cain: & de his legitur in Euangelio, sub specie trium hominum, de quibus sonat hodiernum Euangelium: lepra enim peccatum in Patrem, paralysis vero in Filium, perfidia & obstinatio Iudæorum in Spiritum sanctum peccatum denotat. Et cum descendisset de monte). Venit Christus ad saluandum omnes. Sic venerunt duo Angeli Sodomam ad Lot eripere eum à perditione. Helisæus venit ad Naaman regem Syriæ, vt sanaret eum. Sic Christus venit ad nos perditos homines, vt sanaret nos à lepra spirituali.

*Tertia radix mali.* *Luc. 19* *Gen. 19* *4. Re. 5.*

*Secūda pars.* Secutæ sunt eum turbæ multæ). Habes hic quomodo & quare sit eum secutus populus.

Quidam sequebantur:
( Vt viderent noua miracula.
( Vt comederent de panibus eius.
( Vt sanitatem recuperarent.
( Vt eum in sermone caperent.
( Vt doctrinam eius acciperent.

Nobis in exemplum, vt & nos sequamur eius salutiferam doctrinam. Nam audire verbum Dei, est sanatio animæ. Si filium tuum ad scholam mittis, quare facis, nisi vt discat aliquid boni? Canes venaticos imitatur sapiens ac prob. auditor, huc illucq; feras quærentes. Ipse enim non intellectam rem sæpe ac multum inuestigans, interrogansq; tandem assequitur. Quemadmodum parui pueri doctrinam despicientes ob ferulas flagellaque, quæ Magistri, & pædagogi adhibere solent, attentius dictata suscipiunt, & ipse sermo ante plagas non auditur: post verbera doloresq; veluti statim apertis auribus, & auditu excipitur oratio, & memoria custoditur: Sic accidit & his, qui diuina audiunt præcepta, & ad ea seruanda se negligenter habent; postquam à Deo disciplina illis inflicta est, tunc quæ moleste semper illis inculcabantur diuina mandata, quasi iam primum in aures ipsorum cadant, suscipiuntur. Hac itaque de causa, inquit, disciplina Domini aperit aures meas. Diuinæ leges sunt, & cœlitus allatæ propter salutem nostram. Nam si, cum regiæ leguntur litteræ, vbique est silentium, abestque streni-

*Chrys.* *Cyrill. Alc. li. 4. in Io. cap. 13.* *Basil. in princi. pii Prouerb.* *Chrys. Home. 14. in Genes.*

ſtrepitus & tumultus, omnibus aſtantibus & aures arrigentibus, vt ſciant quæ regijs litteris manifeſtentur, & quiſquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo eſt: multo magis cum magno timore, & tremore aſtandum, & altum habendum ſilentium, & pellendæ cogitationes turbulentæ, vt quæ dicuntur intelligere poſſitis: quia ex approbata obedientia veſtra maioribus vos muneribus remunerare dignetur. Sicut enim pauperes feſtinant ad portas diuitum, vt habeant refectiones corporales vnius diei, & multum infirmus vel debilis eſt, qui illuc non properat: ſic ad refectionem animæ multo magis debemus currere. Nam Chriſtus ait: Beati qui audiunt verbum Dei, Luc. 11. Beati qui ambulant in lege Domini, Pſal. 1. Et ecce leproſus venit) Cur non aſcendit affectans ſanari in montem ad Chriſtum, ſed expectauit donec deſcendit de monte? Animalia enim bruta cum ex natura quærant remedia ſanitatis quantocyus, non differunt ad tempus, ſed accelerant vt poſſunt. Vnde Glo. ſuper Eccleſia. dicit, quòd canis ſi infixam femori ſagittam habuerit, non poteſt quieſcere donec celerius extrahat. Cerua vel caprea vulnerata herbam quærit, qua ferrum de corpore excutiat. Cum ergo iſte leproſus non feſtinanter aſcendit ad Chriſtum, dicunt Docto. quòd hoc fieri voluit Deus, ſcilicet in figuram: quia leproſus iſte figurabat genus humanum lepra peccatorum infectum, quod curari non poterat, niſi Chriſtus de monte altitudinis gloriæ in incarnatione deſcenderit in vallem huius mundi. Secundò propter doctrinam, vt doceat quòd ſcilicet peccator non poteſt in cœleſtẽ montem aſcendere vbi Chriſtus reſidet, niſi prius hic mundetur à lepra peccatorum. Vnde ait: Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manib. id eſt, operib. Greg. Sic vixi vt accuſatorem exterius non timerem: vtinam ſic vixiſſem vt intra meipſum accuſatorem conſcientiam non haberem.

Primò.

Secũdò.

Pſal. 23.

Grego. moral. lib. 2.

Veniens adorabat eum dicens: Domine ſi vis, po. me mun.) Cognoſcit hic ſuam miſeriam, & petit mundationem. Oratio humiliantis ſe nubes penetrat. Hinc Bern. Sed ſi quis innocentiam retinet: & nihilominus humilitatem iungit: nonne is tibi videtur geminum animæ poſſidere decorum? rara auis in terris: aut ſanctitatem non perdere; aut humilitatem ſanctimonia non excludi: & ideo beata quæ vtrumque retinuit. Humilis

Tertia pars. Eccleſ.

ſuper Cant. Ser. 45.

oratio leprosi efficax est, continet enim omnia, quæ ad veram
Eccl. 3. orationem pertinent. Respexit Dominus in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Sicut cum sol apparuerit, fugantur tenebræ: ita cum afflare cœperit suauissimus humilitatis odor, omnis amaritudo omnisq; furor ex animo exterminatur. Dolium nisi vndique sit pice illitum, & nullas habeat ruinas, vinum non potest continere. Sic cor nisi humilitate, & castitate muniatur, & nullas habeat vitiorum ruinas, Dei non potest esse domicilium, Sicut species aromaticæ cum in puluerem rediguntur, vehementer redolent: ita hominis bona cum per humilitatem, quasi comminuta fuerint, Deo sunt gratiora. Humilitas autem est duplex: Ficta & vera. Ficta in hypoc. Vera in hominibus iustis. Consistit hæc in corde, de qua dicitur: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde Glo. non ficto. Et ex hoc procedit humilitas exterior: sicut ramus ex radice. Et bona humilitas est triplex: Sufficiens, abundans, & superabundans. Hìc leprosus sufficientem habuit humilitatem: quando subdit se suo maiori. Adorabat enim Dominum dicens: Domine, si vis. In qua oratione confitetur omnipotentiam Dei, vt non in misericordia Dei desperemus. Vnde: Misericordiam autem meam non aufferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea. Et Dauid: Deus meus, misericordia eius præueniet me. Misericordia eius super omnem carnem. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Domine si vis.) Confidit quòd possit eum mundare. Hinc admonet te Sapiens, dicens: Confide in Deo. Et Christus: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Domine (inquit) si vis) Voluntas fuit bona in leproso. Hinc ait Deus: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam promoueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est. Magnus fuit desiderij feruor cæci sedentis secus viam mendicantis, cum appropinquaret Iesus Hiericho, ideo noluit sibi prohiberi clamorem ad Iesum. Sic nisi propria voluntate accedat peccator ad Dominum cum plenitudine fidei. Extendens manum, scilicet gratiæ. Tetigit eum, dicens: volo. mundare.) Non verbo solo hoc dixit, sed opere & veritate. Vnde colligimus, quòd nisi Christus nos tetigisset, humanam naturam in

Marginalia: Climacus de mansuetudine. — Esaias Abbas. — Beroal. in summa virtutum. — Humil. est duplex. — Mat. 11 — 1. Re. 7. — Ps. 58. — Eccl. 11 — Mat. 9. — Esa. 1.

se suscipiens, non fuissent sana omnis caro. Hinc: Vtinam dis- Esa. 64.
rumperes cœlum & descenderes. Dilexit enim nos & lauit nos
in sanguine suo. Dicunt Doct. quòd per hunc leprosum signi- Apo. 1.
ficatur quilibet homo in peccato mortali positus. Nam vt di-
cit Haymo: Inuisibilis lepra est in anima peccatoris inquinata.
Habemus in hoc leproso, omnium infirmorum typum sanita-
tem optantium, & figuram modumq; orandi. Vbi Titus: Ad- Titus.
discamus ex verbis leprosi corporalium infirmitatum medelam
non quærere, sed diuino beneplacito totum committere, qui
nouit opportuna, & omnia iudicio disponit. Nos autem cum
infirmi sumus, non aliud clamamus, quàm: ò Domine vtinam
essem sanus. Ah Domine sana me. Sic clamauit ad Dominum
mulier fluxum sanguinis habens. Cæcus in via. Prophetæ Mat. 9.
quoque. Vnde: Sana me Domine & saluabor, saluum me fac, Luc. 18.
& saluus ero. Sana Domine, quia peccaui tibi. Amouendæ Hie. 17.
infirmitatis causa, peccatum. Hoc modo leprosus ille veniens, Ps. 40.
non audebat Dominum rogare pro sanitate, sed dixit: Domi-
ne, si vis potes me mundare. Tu quidem potes, sed ego sani-
tatem petere non audeo, quandiu est mihi tua voluntas incom-
perta. Sic orauerunt Maria Magdalena, & Martha, pro Laza- Ioan. 11.
ro fratre suo ægrotante: miserunt ad Dominum Iesum, dicen-
tes; Domine quem amas, infirmatur. Non rogant vt sanetur,
sed infirmum significant, atque quid agendum sit de illius in-
firmitate, Magistro committunt. Sic orauit Mardochæus, di- Est. 13.
cens: Domine in ditione tua cuncta sunt posita: si decreueris
saluare nos, continuo liberabimur. Hoc modo Christus quo-
que orauit, postquam humanæ naturæ infirmitatem ostendis-
set, quia optabat, si Deo ita placeret, non pati, subiungit quo-
que, quod in oratione erat præcipuum, & quod omnino vole-
bat: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Itaque ne- Mat. 26
cesse est in oratione perseuerare, non vt semper ad orationem
stemus, sed vt desideria sancta non deficiant, prouidendum ne
ab oratione ad noxia labamur. Qui enim semper in desiderio
est, semper orat. Qui semper Deum, Deiq; gratiam ac virtu-
tes desiderat, quandiu nihil ab his diuersum admittit, etiam
dormiens orat. Differt tamen interdum Dominus, quod præ-
stare vult, vt doni necessitas dignitasq; dantis, item charitas &
suscipientis infirmitas plenius agnoscatur. Gregorius: Nemo Greg.
quia tardius auditur, credat quòd à superna curia negligatur.

Domine, si vis, poteris me mundare q. d. Quis enim potest
Iob. 4. alius facere mundum de immundo conceptum semine? nonne
tu solus es? potes igitur non solum à Deo impetrare mihi sanitatem, vt Prophetæ fecerunt sancti, sed potes si vis ipse me
mundare. Subest enim tibi, si volueris, posse. Et exten. ma.
Sap. 12 sua te c. Iesus di. vo. mun. & con. mun. est le. eius.) Ad Domini
Cyril. ni imperium & voluntatem statim est opus secutum, secundum
Num. 5 Cyril. Leprosum, quem lex extra castra eijciebat, quem scribæ & pharisæi vix respicere dignabantur, ipse tangere non recusauit, non solum propter occultum rei mysterium, sed vt nobis formam humilitatis præberet, & compassionis exemplum,
Humilitas Christi. ne quis hominem pro quacunque corporis maculatione, vel infirmitate, sperneret, vel abhorreret. Vt faciunt nostris temporibus mercenarij habentes tres aut quatuor præbendas, qui fugiunt à suo grege tempore pestis aut rumoris infidelium, vt præ manibus iam habemus viuum exemplum, Tetigit eum, vt se non esse sub lege, sed supra legem, non seruum, sed Dominum legis ostenderet. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris.) Docet nos Christus hic fugere iactantiam. Hoc miraculum faciendo gloriam non quæsiuit, suam, non quòd sibi à gloria vana (cui soli omnis debetur gloria) timuerit, sed
1. Tim. 1 quia nobis intimabat, ne imponeret nobis gloria inanis, auferretque boni operis à nobis omnem fructum. Ideo docuit nos, cum bona opera fecerimus, non esse gloriæ auidos, sed potius desiderare nos manere in occulto & absque gloria, quàm laudari, tametsi opus factum sit in publico. Vade, per contritionem Ostende te sacerdotibus, per confessionem.
Cur ad sacerdotes missus leprosus. Non ait Christus hic: ostende te Zyuinglio, Luthero, Oecolompadio, Gallo, Illyrico, Arrio, Manichæo, & cet. sed sacerdotibus. Sacerdotibus ex iure diuino obediendum est. Nolens enim obedire sacerdotis imperio, morietur, ait Do-
Quarta pars. minus. Hinc Gregorius Quanta est inter solem & Lunam: tan-
Leu. 14. ta est, inter Pontifices & reges differentia. Luna à sole recipit
Deu. 17 splendorem: rex à Pontifice potestatem, quia sacerdotalis di-
Gre. in c. sacer. gnitas excedit omnium regum potentiam. Sacerdotes enim aliquando Dij, aliquando Angeli, aliquando reges dicuntur.
Ambr. Nam ad Moysen de eo, qui ad iuramentum ducendus est, dici-
Exo. 2. tur: Applica illum ad Deos. Angeli dicuntur: Labia sacerdo-
Mal. 2. 1. Pet. 2. tis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exer. est. Reges

dicuntur: vos estis genus electum regale sacerdotium. De hac autem gloria non debent se sacerdotes extollere, vt plures istis iam temporibus faciunt qui talem statum sine honore accipiunt, & lætantur cùm ad sacerdotalis dignitatem ascendunt. Audiant illi Sapient. dicentem: rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex eis. Audiant illi Hiero. Grandis dignitas sacerdotum se grandior ruina si peccant Idem. Sacerdotes Dei omissis Euangelijs, & prophetijs (nescientes prædicare Euangelium omni creaturæ, Mar. 16. Tales proh dolor, multos habemus) videmus comedias legere, &c. plus delectantur in Ouid. & Terentiana lectione, quàm in sacra scriptura, &c. Pagani principes, qui verum Deum nescientes Deos ligneos & lapideos colebant: & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Auditis hìc quomodo Dominus repente vt vidit hunc leprosum tetigit il. di. Volo mundare. Vade autem ostende te Sacerdoti. Potuisset Dominus certe hunc mundare solo verbo, sed misit eum ad sacerdotem. Hoc autem primo ideo fecit, quia licet esset mundatus, non tamen reputabatur mundus, nec debebat secundum legem restitui ad communem habitationem hominum, nisi prius per sacerdotum iudicium mundatus esse demonstraretur, & munus Domino pro eius mundatione offerretur. Vnde sicut ad eorum arbitrium separabatur, ita non sine eorum arbitrio, ad consortium aliorum admittebatur. Secundo, propter humilitatem, vt sacerdotibus deferens, non videatur eorum gloriam rapere vel honorem: & vt ostenderet exhibendam sacerdotibus reuerentiam, & vt sacerdotalem dignitatem ac auctoritatem obseruaret. Tertio, vt, quòd in eo sæpe criminabantur, ostenderet se non legis transgressorem, nec legem soluere, sed implere, secundum legem gradiens, & supra legem curans. Quarto, vt intelligerent eum, non legis ordine, & consuetudine, sed Dei gratia & operatione, supra legem curatum esse, & se maioris virtutis esse, quàm legem vel sacerdotes, quia lepram cognoscebant, quam mundare non poterant. Per hoc etiam, quòd eum ad sacerdotes mittit, figurare & docere voluit, quòd peccator, qui per leprosum figuratur, licet sit mundatus à lepra peccati per contritionem, tamen adhuc tenetur se sacerdoti ostendere per confessionem, & ad eius consilium subire satisfactionem. Vnde Dominus istum leprosum tangendo mundauit

Eccl. 3. Hier. in per Ezechia li. 2. Ad Damascú Papam de filio prodigi Oipotéti Deo hæc dicta sint.

& postea, vt sacerdoti se repræsentaret, & sacrificium offerret, præcepit. Tunc enim leprosus à Deo tangitur, quando peccator compungitur. Tunc sacerdoti se repræsentat, quando peccatum confitendo manifestat. Tunc sacrificium offert, quando satisfactionem complet. Piger quippe expectat donec sacerdos eum quærat: sed tu præueni sacerdotem, & lepram Animæ ostende per oris confessionem, quæ confessio quattuor conditiones debet habere. Prima est, quia debet esse voluntaria. Vnde dicit: Vade, non ductus, nec tractus, nec coactus, sicut qui tormentis afflictus, vel timore mortis in vltimis confitetur peccata. Secunda est, quia confessio debet esse nuda & aperta. Vnde dicit: ostende, quid scilicet egisti, quid cogitasti, quid locutus es, non dicit: absconde, scilicet excusationibus, &c. Tertia est, quia confessio debet esse pura. Vnde dicit: te, scilicet ostende, & non alios. Quarta est, quia confessio debet esse ordinaria. Vnde dicit sacerdoti, quia non cuique facienda est, (vt supra) sed sacerdotibus, quia habent clauem scientiæ, & Exo.12 auctoritatis, &c. Multa de confessione, & agno paschali (tota ciuitas dat testimonium) quomodo sumendum sit, & à qui- Ioan.8. bus, & qui ministri esse debeant, dixi. In Ioanne dicitur, quomodo Iesus se abscondit & exiuit è templo. Ostenditur hic quomodo Dominus vere, & non ficte honorem regium fugit, & declinauit. Ambitiosi Clerici hic taxantur. Sunt enim multi, qui dignitates se non appetere simulant; sed cum offeruntur, manibus & pedibus promptissimi occurrunt, & læti suscipiunt, immo & quandoque voluntarij se offerunt. Sunt enim aliqui, qui in dignitatibus positi fingunt, se velle eas non habere: sed nihilominus per se, & mediatores procurant, & occasiones quærunt sollicitè, quòd possint in ipsis officijs remanere. Non fuit huiusmodi simulatio, & fictio in Domino, pro vt pa- Ioan.13 tet ex eius facto. Misit enim discipulos per mare, nec cum eis nauem intrauit, ne turbæ eum inter discipulos quærerent. Vide quanto studio fugit, & declinauit honorem. Exemplum de- Verg. dit nobis, vt & nos ita faciamus. Non enim pro se, sed pro no- Aug. li. bis fugit. Cognoscebat namque, quantæ sit temeritatis, si ad 8. de ciuit. Dei honores aspiraremus. Vnde Poeta ait: Haud equidem tali me Ioann. dignor honore. Vix fieri potest, quòd qui in honore delecta- Chrys. tur, in periculo non sit. Hinc Augustinus. Non est, in hac vita super Matth. amandus honor. Et Chrysost. Omnes quidem de suo honore solliciti

follicitì sunt, de honore autem Dei nullus. Hoc non attendunt istis iam temporibus ambitiosi Clerici. Ambitio enim est vitium pessimum, ac causa & radix multorum aliorum vitiorum, multos hæc passio sic excæcat, vt etiam ea, quæ multis alijs manifesta sunt, ipsi non videant: sicque in foueam primæ culpæ: & deinde gehennæ cadant. Et quid prodest eis, si mundum lucrentur vniuersum: seipsos autem perdant? Sed heu communiter hodie honor & non onus, gloria & non pœna attenditur: & honoris nomen virtutis tenetur. Hinc Bern. ait: curritur à Clero passim ab omni ætate & ordine: à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisque victurus sit, &c. Cor ambitiosi nunquam quiescit: sed vel honorem, quem non habet, appetit: vix eum, quem habet, amittere metuit: & sic Diabolus cor eius semper mouet, & rotat, tanquam molendinum, quod nunquam pausat. Vnusquisque superbus rector totiens ad culpam apostasiæ dilabitur, quotiens præesse hominibus delectatur, ac honoris sui singularitate lætatur. Vnde hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius, qui despectis Angelorum societatibus dixit: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo? Solent autem ambitiosi se excusando quandoque allegare illud Apostoli, & dicere: Qui episcopatum desiderat bonũ opus desiderat. Respondetur illis, quòd opus sit bonũ, sed desiderare malũ. Sic & dici potest: quòd qui aurum furatur, bonã rem furatur: quia aurũ bona res est, sed furari malũ est. Vnde Apostolus ipsum opus tamquàm bonum commendat: Christus verò ipsum desiderare tanquam malum, & vanum commendat. Sic ergo patet ex sacra scriptura, quòd ambitiosus non est in statu gratiæ & salutis. Vnde: Diabolus ruit: quia elegit potius præesse quàm subesse. Hinc Seneca: relinque ambitionem, timenda res est, vana, ventosa, nullum habens terminum. Ambitiosus non est contentus vno beneficio: semper enim cogitat de pluralitate, plura occupat, & alijs esurientibus ipse se pompis, & vanitatibus inebriat. Gaudent tales & se iactant, quia habent tot florenos sibi apportatos, sed timeant ne sint floreni eos ad infernum portantes. Frustra enim iactant se habere beneficium vel mercedem, cuius non exhibent operationem. Sed esto, quòd tales habeant dispensationem supra absentia seu non residentia: nunquid dispensationem habe-

Mar. 8.

Nota Baalmita.

Gr. epi. 38.

Esa. 14.

No. Be.

Non audeo loqui.

1. Tim. 3.

Aug. li. 14. de Ciui. c. 11.

re potuerunt ſuper peccatis, & malis committendis, quæ ineuitabiliter ſequuntur ex eorum abſentia, & negligentia. Et ideo bene eis eſſet, ſi haberent vicarium in tormentis? quibus excuſando ſe dicunt habere in beneficijs. Pauci quidem ex eis paſtores, ſed multi mercenarij ſunt: quia non lucrum Animarum, ſed mercedem temporalis commodi, aut lucri vel honoris quærunt. Iſtis bene congruit illud Bern. Væ tibi Clerice mors in olla, mors in huiuſmodi delicijs: peccata enim populi comedis ac ſi propè minus ſufficere viderentur. Sumptus Eccleſiaſticos gratis habere te reputas: ſed bonum erat magis fodere, & mendicare. Indignus lacte & lana conuincitur, ſi non paſcit oues: ſi non inuigilat in cuſtodia gregis, iudicium ſibi manducat, &

Ioan.4. veſcitur. Peccata populi mei comedendo Miniſtri Chriſti ſunt, ſed ſeruiunt. Antichriſto; Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorē non dederunt. Diligunt munera plus,

Notabile. quàm Chriſtum: quia manu dederunt Mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circum amicti varietatibus tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo: nonne quempiam talium repente eminus procedentem aſpexeris, ſponſam potius putabis quàm ſponſæ cuſtodem? Vnde verò hanc illis exuberare exiſtimes rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? inde eſt, quòd illa pauper & inops & nuda relinquitur facie miſeranda, & inculta, hiſpida, exanguis: propter hoc non eſt, hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt paſcere gregem, ſed mactare & deuorare, di-

Pſal.13. & 78. cente de illis Domino: qui deuorant plebem meam vt cibum panis: Et quia commederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.

Plin. in ſpec. natu. Plinius ait: Aquila eſt regina auium, cibum, quem prædando adquirit, ſola non comedit, ſed alijs auibus ſequentibus liberaliter diuidit, ideo multæ aues propter hanc cauſam eam ſequuntur. Ita & rectores huius mundi deberent eſſe, liberales

Ezec.26 pauperibus eos alendo. Sed heu hìc poteſt, dici de illis, quod ſcripſit Propheta, dicens: ſtatuæ tuæ nobiles in terram corrue-

Eſa.1. runt. Et principes tui infideles ſocij furum, omnes diligunt munera. Quis nunc inter rectores huius mundi, ſequitur naturam nobilis aquilæ, vt ſua cum alijs diuideret? Certe pauci, qui nobilium antiquorum principum fundant Eccleſias, Epiſcopatus, Xenodochia, &c. annihilant nunc noſtris temporibus,

non

non aduertunt illud Hieronymus, quòd omnis possessio sacerdo
tum sit Eleemosyna pauperum, & si quid vltra necessitatem
erogauerint; furtum & sacrilegium existit. Vnde: Væ pastori- Ezech. 3. 4.
bus Israel, qui pascebant semetipsos. Vtinam multi mercena-
rij & pseudo pastores hæc attenderent: qui plus de seipsis etiam
sanis, quàm suis subditis etiam infirmis, solliciti sunt, plus quam
sibi in voluptatibus quàm subditis in necessitatibus condescen-
dunt. Mirum ergo valde, quomodo cinis & puluis tam auda-
cter Deum & tantam maiestatem præsumit offendere. Ex his
igitur omnibus apparet aliquantulum in quali & quanto peri-
culo sit hodie status Clericorum: & quanta per ambitiosos
Clericos veniunt scandala: quantamque persecutionem su-
scitant in Ecclesia. Illi enim verè Ecclesiam persequuntur,
qui vitijs & malis exemplis persequuntur. Illi acerbius fun-
dunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occi-
dunt. Vnde: Si Dominus proprium sanguinem dedit in pre-
cium redemptionis animarum: nonne is tibi videtur grauio-
rem suscitare persecutionem, qui suggestione mala, exem-
plo pernicioso, scandali occasione, auertit ab eo animas quas
redemit, ab illo qui sanguinem suum fudit? Quis obsecro
Laicorum auidius Clericis acquirit temporalia: & ineptius
vtitur acquisitis? Cùm tantum fastum videant Laici in supel-
lectile Clericorum: nonne per eos potius inuitantur ad mun-
dum diligendum quàm negligendum? Medice cura teipsum.
Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu priùs, Luc. 4.
& ad ipsum alios efficaciùs inuitabis. Da voci tuæ vocem vir- Heb. 4.
tutis: consonet vita verbis, & statim erit in ore tuo viuax, &
efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Nam Doctrina aliqua pp tria, nō auditur.
aliqua doctrina non auditur propter tria. Primò propter ma-
lam vitam docentis. Vnde Gregorius Cuius vita despicitur,
restat vt eius doctrina contemnatur. Secundò doctor non exau
ditur propter errorem veritatis. Tertiò quòd doctor non exau- Primò.
ditur, hoc facit malitia populi, Et sic in Ioanne de Iudæis di- Secūdo
citur, qui noluerunt audire Christi sermonem. Ostendit autem Tertio.
ibidem Dominus, quòd hoc non proueniret ratione suæ do-
ctrinæ erraticæ, aut malæ vitæ, sed ratione eorum malitiæ, di-
cens: Quis ex vobis arguet me de peccato? Sic sacerdotes de- Ioan. 8
berent esse mundi. Animalia nobilia in locis mundissimis com-
morantur, ideò porci in luto delectantur. Legitur in gestis Phi- Sic Ber sabea.

losophorum. Cum quidam mundus, coram quodam Philoso-
pho se libentiùs cum mulieribus quam cum Philosophis com-
morari diceret: Ille respondit: Et sus libentius in cœno gau-
Prou. 22. det, quàm in fonte sereno. Hinc Salomon: Qui diligit cordis
Mat. 5. munditiem, habebit regem amicum. Et Christus: Beati mun-
Eccle. 9 do corde. Et spiritus sap. Auerte faciem à muliere compta.
Isidor. Isidorus: Si vis à fornicatione esse tutus, esto à muliere & cor-
pore & visu discretus. Circa serpentem enim non eris diu illæ-
sus, ante ignem consistens & proximus à periculo diu tutus non
eris, licèt ferreus sis, aliquando tamen dissolueris. Comeden-
tes agnum paschalem renes accingebant. De luxuria Clerico-
rum iam nihil dicam: nisi quòd illam solus nouerit omnipotens,
qui renum & cordium scrutator est Deus. Si quis propter præ-
Exod. 1 dicta mihi ea dicenti irascitur, talis de seipso quòd huiusmodi
sit, confitetur. Multi enim cùm eis veritas proponitur, indi-
gnè ferunt: & cùm aliter euadere non possunt, respondent, quòd
de talibus sibi conscientiam non faciunt: & hæc est mala con-
scientia: quia veritati & rationi contraria. Si quis autem in his
vel in alijs falsò vel iniustè infamatur vel calumniatur, tunc
laudabile est quòd se excusat. Nam ex hoc sequuntur tria bo-
na. Primum bonum, innocentis fama conseruatur, quod est
maximum inter res temporales, vt dicit S. Thomas & Paulus
Thom. Melius est mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Se-
in 2. 2. cundum, detrahentis lingua refrenatur, quæ est nociua. Om-
q. 73. nis qui detrahit fratri suo, homicida est. Tertium bonum, au-
1.Cor. 9 dientis scandalum remouetur. Væ illi, per quem scandalum ve-
nit. Vnde inquit, ostende te sacer. Sic Ite, ostédite vos sacerdo-
tibus. Vnde ait: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.
Præclarissimus Doctor S. Ecclesiæ Romanæ sic ait: Intra Ca-
1.Io. 3. tholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini,
Mat. 18. nihil à bono maius: nihil à malo minus perficitur creatoris, &
Luc. 17. Ioa. 20. virtute Spiritus sancti: si enim in merito esset sacerdotis, nequa-
Aug. de quàm ad Christum pertineret. Nunc autem sicut qui baptizat,
corpore Do- ipse Christus est, ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc
mini. suam efficit carnem & transfundit in sanguinem. Credendum
est enim, quòd in verbis Christi Sacramenta conficiuntur: cu-
ius priùs creantur imperio, eius vtique verbo recreantur ad
melius. Voluit ergo Christus Dominus in curatione huius le-
prosi tales modos obseruare, quibus nos instrueremur, quali-

ter deberemus à peccatis emundari, scilicet ostendendo nos sacerdotibus in confessione. Hinc: Qui abscondit scelera sua; non dirigetur; qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur. Ita mundatio leprosi est primum signum Christi, quod fecit post apertam prædicationem suam, quia licèt prius conuerterit aquam in vinum, nondum tamen tunc apertè prædicauerat. Proinde in hoc primo miraculo emundationis docuit, quòd istis modis mundemur à peccatis. Primò adorando Christum in Sacramento Eucharistiæ, & aliàs fideliter & humiliter. Sicut fecit iste leprosus, qui veniens adorauit eum procidens. Vbi ista tria concurrunt, scilicet fides, humilitas & oratio, nihil negatur à Deo. Oratio enim si pura & humilis fuerit, vacua non redibit. Oratio namque tua locutio est ad Deũ. Quando legis sacra tibi Deus loquitur. Quando oras, cum Deo loqueris. Hic non dicit Augustinus, detractionem & diffamationem proximi tui esse locutionem ad Deum. Nec quando legis Ouid. Deus tibi loquitur; quando obscœnis verbis vteris in Ecclesia, cum Deo loqueris. Non clamor, sed amor sonat in ore Dei. Vnde: Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes raræ sunt multis. Hinc Hieronymus non in verbis tantum, sed in corde adorandus est Deus. Quapropter melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate ac serenitate, & spirituali hilaritate, quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. Quum igitur pro cunctis Animabus Psalmus vel Missa dicitur: nihil minus quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipit. Secundò, bonitatem Christi, & propriam infirmitatem recognoscendo in contritione, & spe veniæ fiducialiter. Sicut iste leprosus fecit: Domine si vis potes me mundare. Tertiò cogitando passionem Christi compatienter. Vnde: Extendens Iesus manum suam. Nam in hoc, quòd extendit manum, significauit, quòd extensurus esset in cruce manus, & sic sua passione & sanguine nos mundaret. Hinc passio Christi non solùm abundans, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis. Cùm intrasset autem Iesus Cap. accessit ad eum Centu. rogans ac di. Domine puer meus ia. in d. par. & ma. tor.) Post miraculum leprosi fecit Christus miraculum in seruo Centurionis. Cùm intrasset Capernaum.) Capernaum ciuitas fuit ac Metropolis Gallileæ. Centurio erat gentilis se-

Prouer. 28.

Primò.

Ludol.

August. Idē super Ps. 85.

Au. sup Ps. 118.

Hier. & habetur de consec. di. 5.

Secūdo

Tertio.

cundum Lucam, positus ibi à Romanis pro colligendo tributo & custodia Gallilææ, ne fortè si vellent contra Romanos, quibus tota illa terra subiecta erat, rebellare vnde & in Capernaũ tunc habitabat. Quòd verò accessit ad eum Centurio, non intelligendus est in sua persona accessisse, sed Iudæorum, senio-

Luc. 7. res misit legatos, vt Luc. pro se. Qui cùm venisset ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes: dignus est vt illi hoc præstes, diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis Centurio, quippe obtinuit puero suo incolumitatem: non quidem sola fide, vt falsò aduersarij nostri ex hoc loco affirmant, sed fide, oratione atque in famulum charitate. Accessit enim fide: rogans opere: dicens in corde per charitatem. Fides prima iustificat, vt in pueris primò baptizatis. Fides autem secunda non iustificat sine opere bono annexa charitate. Pater

Luth. 1 c. Baby. c. d Bap. & caput eorum omnium Lutherus ait: Si homo totius mundi peccata & delicta in se haberet, cum istis tamen non potest per-

Eccl. 32 dere æternam salutem, si modo in Christum Iesum crediderit. Audi frater mi, quid dicat Sapiens: In opere tuo crede ex fide

Iac. 2. animæ tuæ. Hæc est enim conseruatio mandatorum. Qui cre-

Contra Donat. dit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minoratus erit. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Vnde Augustinus: Si cuius manus esset arida, verum quidem esset membrum, quamuis sine sanguine, & inefficax esset & mortuum. Sic & fides quum sit vera: tamen sine operibus mortua est. Idem: Cum dilectione fides

Lib. 1. de charitate. Christiani, sine dilectione fides Dæmonis. Domine puer meus ia. in do. par.) in Luca dicitur, eò processisse infirmitatem, vt naturali modo aliud non superesset, quàm mori. Vide hìc quàm fidelem se præstet Dominum Centurio, immò magis patrem, quàm Dominum erga seruum infirmum. Ait illi, scilicet per internuncios: Ego veniã & curabo eum, quasi dicat, paratus sum venire ad domum tuam, & tuum curare seruum, si vis aut optas. Multæ huius Centurionis virtutes hìc ostenduntur. Nã credidit Christum etiam absentem solo imperio infirmitates posse curare, vtpote cui obedirent omnia: ideò adiecit, vt si verbum diceret, sanitatem esset accepturus puer. Propter quod Dominus ait: Non inueni tantam fidem in Israel. Fuit mirum in modum humilis, ideo ex humilitate ad Dominum venire abstinuit, arbitrans se esse indignum (cum esset Gentilis) venire ad tam

sanctum Dei. Non audebat alloqui, non audebat domo sua suscipere Christum, iudicans se indignum sub cuius tectum subintraret Christus, ideo ait: Domine, non sum dignus. Sciebat Centurio, quàm abominabile esset viro Iudæo in domum ire Pagani: ideo molestum nimis putabat Christo futurum, vt ad se veniret. Non dubium est, Centurionem illustratione diuina fuisse imbutum, qui virtutes diuinas haberet infusas, vtpote vir religiosus, bonus ac timens Deum, quemadmodum de Cornelio legitur in Actis Apostolorum. Habuit præterea magnam charitatem, quia tam feruenter, tam constanter, tamq; affectuosè rogauit pro suo seruo, quem præ ingenti dilectione puerum nominauit: non ignarus illius dicti Sapient. Seruus fidelis sit tibi quasi filius. Vide hic quoque humilitatem Christi. Rogatus à Regulo ad ipsius filium venire, noluit, non rogatus ad Centurionis seruum venire, paratissimus fuit. Audiens autem Iesus verba Centurionis miratus est, & se. se. tur. dix. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel, scilicet quantam in Centurione. Dignum autem erat maiorem esse & inueniri apud Iudæos, quàm apud Gentes. Maior autem fuit fides Centurionis, quàm Iudæorum. Est autem similis locutio, quomodo si alicuius rustici laudetur prudentia, quæ maior sit quàm hominis docti, aut ciuium, aut philosophorum. Non inueni tantam fidem in Israel.) Nobis in exem. vt & verbo Domini fidem habeamus, Verbo enim Domini cœli firmati sunt. Ipse dixit & facta sunt. Fiat firmamentum & factum est. Videtis hic vt in veteri Testamento verbum Dei tam efficax erat, vt mox facta sint, quæ dixerit Dominus. In nouo Testamento non minoris potestatis fuit. Auditis enim hodie, quomodo leprosus veniens adorabat Dominum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et respondit Iesus, volo, mundare. In Ioanne dictum est Lazaro: Lazare veni foras & statim surrexit. Videtis itaque charissimi, quàm potens sit verbum Dei, de quo Centurio dixit: Domine, dic tantum verbum & sa. p. m. Toto itaque cœlo errant Lutherani & Zuuingliani, qui ad verba Christi præsentiam Christi negant in Sacramento, & quotquot benedictiones Ecclesiæ negant & rident. Vbi Petrus Cantor Parisiensis: Hinc argue melius esse abstinere ab ordine, à sumptione Eucharistiæ, nisi plurimum ad hoc vel illud accedentem confortet bona conscientia, quàm ordinari, vel

[Margin notes: Act. 10 (beside "Apostolorum"); Eccl. 7. (beside "Seruus fidelis"); Ioan. 4. (beside "Audiens autem"); Ps. 32. 148. (beside "vt & verbo Domini"); Gen. 1. (beside "li firmati sunt"); Ioa. 11 (beside "dare. In Ioanne"); In Mat. (beside "trus Cantor")]

conficere, vel ſumere cum conſcientia, non dico læſa, quia hoc eſſet mortale, ſed dubia &c. Multa hic de præſentia Christi in Sacramento Euchariſtiæ exempla Sanctorum Patrum allegaui. Videlicet ex Hippolyto Epiſcopo in libro de Antichriſto: Cypriano in ſerm. de cœna Domini: Machario Patriarcha: Athanaſio, de verbis Euangelij: Quicunque dixerit verbum aduerſus filium hominis. Euſebio Emiſſe. Hom. 5. de Paſcha. Euchario in commentar. in 2. Reg. cap. 6. Eiecit Christus dæmonia, verbo & benedictione ſua multiplicauit panes & piſces. Quid ergo dubitamus? Cum non dubitarunt Apoſtoli, ſi dicerent vt ignis de cœlo veniret, & ad verba Heliæ factum legitur? Quid dubitamus, qualem poteſtatem dedit hominibus, & maxime Apoſtolis? Ad verba ſacerdotis, Leuiticæ tribus etiam vectus adulteræ ruptus eſt. Inſtitutum benedicendi eſt deſumptum ex lege naturæ, Moyſi & Gratiæ. Qua de re ſancti Apoſtoli, in eorum Canonibus eos, qui ad finem vſque Miſſarum ſolemnium non perſeuerarent, communione priuandos eſſe cenſuerunt. Idipſum Concil. Carthaginenſe imitatum ait: Sacerdote verbum in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur. Idem Concil. Agathenſe confirmat. Refertur etiam à Gratiano de Conſe. diſt. 1. Sacerdotum benedictiones, in quibus Patris & Filij, & Spiritus ſancti nomina inuocantur, non modò deſpiciendæ non ſunt; ſed hilari animo expetendæ Si enim dicitur Moyſi: Inuocabis nomen meum ſuper omnes filios Iſrael, & ego Dominus benedicam eis. Et per Zachariam: Effundam ſuper domum David & ſuper habitores Iſrael Spiritum gratiæ & precum; Cur non idem ſanctum Dei nomen ſuper populum Chriſti inuocabitur à ſacerdote? Optabat benedictionem David, cùm ait: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus. Sacerdos benedicit Miſſa completa, quò memores ſimus verborum Chriſti in extremo iudicio, dicentis: Venite benedicti Patris m. poſsidete regnum vob. ab orig. mundi paratum. Hinc de benedictionibus omnium creaturarum, ſcil. panis & aliorum fructuum dicit Paulus vas electionis: Omnis creatura eſt bona: ſanctificatur autem per verbum Dei & orationem. Quæ verba exponens Theophilactus ait: Ergo immundum erit, niſi ſanctificetur Cruce Chriſti, verbo Dei & oratione. Dico autem vobis, quòd multi ve. ab Or. & Oc. & re. c. A. & Iſa. & Iac. in re. cæ. ſi. au-

Ioan. 6 · Act. 5. · 19. Mar. 16 · Num. 5 · Num. 6 · Zac. 12. · Pſ. 66. · Mat. 25 · 1. Ti. 4.

temere: eijc. in te. ex.) Quasi diceret, quòd in Centurione isto fieri vidistis, in posterum sæpius fiet, non in vno, sed in pluribus hominibus Ethnicis, non in vno loco, sed in toto orbe terrarum. Hic Centurio primus est, in quo miraculorum meorum periculum feci inter Ethnicos: sed vt hic primus est, ita nec postremus erit. Primus est inter Ethnicos, qui suam fidem in me palàm professus est, sed non erit vltimus, immo quod nunc pro se solò professus est, id postea omnes gentes vbique terrarum profitebuntur. Pertinent igitur hæc vocabula peculiariter ad gentium vocationem, quemadmodum etiam illud, quod Christus alibi dicit: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere. Ea gentium vocatio multum & sæpe per Prophetas prædicta est & annunciata. Vt cùm dicit Deus in Esa. Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Et: Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Qualis autem recubitus ille sit, ostendit Paulus, vbi inquit, sanctis Apostolis reuelatum esse, gentes esse cohæredes & concorporales & conparticipes promissionis in Christo Iesu. Filij regni eijcientur in tenebras exteriores.) De Iudæis id dictum est, quòd excæcari & ex regno Dei exterminari eos oportet, & omnes vocati, quibus ex vocatione debetur (si iuxta suam viuerent vocationem) regnum Dei, si suam vocationem negligunt, eijcientur in tenebras exteriores. Ante cum intelligerent periculum suum, peccatis abstinere noluerunt, sed in tenebras inciderunt interiores, vnde quò ambulent, non vident, sed tenebræ eos comprehenderunt, quia odiunt lucem, amant verò suas tenebras. Faciamus nos aliter. Docent nos ambo, tam leprosus quàm paralyticus hìc ad Medicum fugere, qui nō minus paratus est mederi animabus quàm corporibus nostris. Propterea rogauit Dominum Psalmista: Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Leprosus verò hic petiuit à Domino munditiem. Cunctis ferè est naturale hominibus ac insitum, diligere munditiem. Vide, si non omnia optes munda? Mundam cupis habere vestem, mundum cibum, mundum lectum, vas mundum domum & omnia alia munda. Quare non item Animam quærimus mundam? quare cor non seruamus mundum & conscientiam? Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Qui igitur immundo corde sunt, Deum non videbunt. Attendant hoc di-

Io. 10.
Esa.48.
Esa.60.
Mat. 5.

ligenter Concubinarij sacerdotes, qui die noctuq; illotis manibus & immundo corde, conscientiaq; Deo seruiunt. Legant hi, relegantq; SS. Theo. Docto. Iodocum Lorichium profundissimum Theologum cum summa diligentia, qui ante annum edidit pulchrum libellulum de Concubinarijs, inuenient quàm abominabile sit peccatum. Humannm quidem est peccare: sed in peccatis perseuerare, diabolicum est. Vnde Bern. ait: Humanum est tentari & peccare, sed obstinatio diabolica. Nam perseuerare diabolicum est, & digni sunt perire cum illo, quicunq; in similitudine permanent in peccato. hæc Bern. in senten. Quotidie igitur ad Dominum clamemus: Cor mundum in me crea Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Placet Deo innocentia, placet etiam pœnitentia. Lauamini, mundi estote, qui fertis vasa Domini mundamini. Agite enim pœnitentiam, inquit Christus in Euangelio: appropinquat enim regnum cœlorum. Et dixit Iesus Centurioni. Vade, & sic. cre. fi. ti. & sa. est p. ex il. ho.) Pijssimum cor Iesu nullo nunquam tempore in se potest confidentes deserere. Nam fides quæcunque poscit, impetrat. Nobis igitur, qui multis circumdamur malis, & fides insuper modica est, expedit pro fide Dominum rogare. Quod Apostoli quoque fecerunt, dicentes: Domine adauge nobis fidem. Hoc modo nos quoque, tametsi minor quàm æquum sit fides nostra, nobis augeri roborarique fidem rogemus Quæ vbi nobis adfuerit, haud dubium quæcunque desideramus, impetrabimus a Deo, qui est benedictus in sæcula.

Bern.

Ps. 50.

Esa. 1.

Aug. simulata sancti-tas, est duplex iniqui-tas.

Luc. 17.

F I N I S.


LEGATORIA DI LIBRI
DI
GIOVANNI CAVALL
ROMA
Via Viminale N° 78





